



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. IV. Quodcumque Crvcis genus Christvm tulisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

*rumque ipsa despectio hominem reuocat ad se-  
ipsum. Optimè ergo Apostolus meus mo-  
nuit, Deo seruiendum per gloriam, & igno- 2. Cor. 6, 8.  
bilitatem; per infamiam, & bonam famam; vt  
seductores, & veraces. Fasciculus verò mul-  
tarum CRUCIUM simul ligatarum, id deno-  
tat, plures subinde afflictiones simul in vnum  
incurrere hominem, Deo ad eius salutem  
id permittente, atque etiam immittente.*

## CAPVT IV.

*Quodcumque CRUCIS genus Christum  
culisse.*



TV EBAT non parum Stau-  
rophila, audiens multiplices  
CRUCES vni aliquando desti-  
nari, & Mi Domine, aiebat,  
vel vnica ex commemoratis  
CRUCIBVS satis profectò fuerit ad validum  
hominem deiiciendum; ecquis ergo con-  
geriem aliquam sustineat? Quid est quod  
loqueris? reponebat Christus. numquid  
considerasti seruum meum Iob, quanta susti-  
nerit, & quot in eum simul irruerint CRV-  
CES? Armenta enim primò sublata, liberi  
deinde ruinâ domus oppressi, percussus ipse  
vlcere pessimo vsque adeò, vt sedens in ster-

B s. . . qui-

quilinio testâ faniem raderet: & ad malorum  
cumulum, propria etiã marito insultaret  
vxoꝝ. Amicis qui ad consolandum venerant,  
acerbis disceptationibus malũ exasperabant.  
In his omnibus tamen infractus persistebat.

Iob. 2, 10. sancti viri animus, vt diceret: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?*

\* Iob. 1, 21. *\* Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Magna, inquiebat Staurophila,

hæc Iobi patientia; sed quis assimilabitur ei?  
Quis mihi mentem ita cõfirmabit, vt aduersus omnia aduersa inconcussa permaneat?

Cui Christus: Nulla melior ad patientiam monitio, & munitio, quàm aspicere

Heb. 12, 2. in me *auctorem fidei, & consummatorem IESVM.* Nam & hæc mihi patiendi causa fuit, vt ouibus meis præberem exemplum. Omnes enim CRVCES, *omnia terrena mala, quae*

Aug. lib. de Catechiz. rudib. *sustinenda præcepi, ego, Deus ipse, sustinui, ne in illis timeretur infelicitas.* Si enim aduersitas, ô Staurophila, nullam hîc vidisti CRVCEM, quam ego non priùs tulerim. Itane verò, aiebat illa, & tu Redemptor mi, omnes has CRVCES? Sic est, aiebat Christus, nec de primâ dubitas: neque enim nescis, quomodo prætorio exiuerim baiulans mihi

Phil. 2, 8. CRVCEM, & factus fuerim Patri obediens usque ad mortem, mortem autem CRVCIS. Hoc om-

omnes viuâ fide credimus, aiebat Staurophi-  
la, sed de aliis non ita passim constat.

Proinde aduerte, inquiebat Christus, per-  
curram reliquas, sed breuiter, & quasi in  
transitu. Defuitne mihi interior CRUX,  
cùm in horto cœpi tædere, pauere, & mœ-  
stus esse, & dicerem: *Tristis est anima mea* Matth. 26,  
*vsque ad mortem.* Volui deinde ad consola- 38.  
tionem seruorum meorum esse quasi dere-  
lictus & despectus à Deo. Ecquid enim ani-  
mi credis tum mihi fuisse, cùm flebili & in-  
termoriturâ voce clamarem: *Deus meus,* Matth. 27,  
*Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quanto 46.  
dolore cordis tactus sum intrinsecus propter  
omnia & singula hominum omnium scele-  
ra, iam inde ab ipso mundi exordio perpe-  
trata! hæc enim in me susceperam expian-  
da; pro illis, agnus licet sine maculâ, & qui  
peccatum non feceram, reum ipse me con-  
stitueram, vt pro iis ad iustitiæ rigorem Pa-  
tri satisfacerem, & que non rapui, exolue-  
rem. Cernebam autem perspicuè, & in parti- Less. de  
culari, quanta in singulis diuina bonitati fieret Perfect. di-  
iniuria, quanta contumelia, quantus contem- uin. lib. 12,  
ptus. Cernebam quoque quantum malum sit cap. 17.  
æterna damnatio; quam totum genus Adæ sibi  
per peccatum accersuerat. Multò enim exa-  
ctius & clariùs singula considerabam & ponde-  
rabam, quàm vlla posset creatura. Vnde non  
dubi

dubitauit quidam affirmare, hunc ipsum dolorem sufficiensimum fuisse ad vitam mihi millies eripiendam; si vim suam in corpus exercere fuisset permissus. Si enim Heli captâ Arcâ retrorsum cecidit, & exspirauit; si & nurus eius dolore eiusdem cladis extincta est; quis dubitet, quin idem potuisset dolor, quem pro peccatis vestris assumpseram, cum ille longè fuerit maior, quàm vllus, qui in hominem possit cadere? atque hæc tristitia mihi fuit continua ab ipso initio conceptionis vsque ad finem vitæ.

O lætitia Angelorum! aiebat Staurophila, numquam credidissent, tantum internite habuisse doloris, nisi me docuisses. Quare concupisco & reliquas tuas cognoscere CRUCES. Iam audiuisses, aiebat Christus, nisi interrupisses. Pergo igitur de corporis afflictionibus, de quibus fortè non ambigis. An non vinculis constrictus, huc illuc magno furore per vias raptatus, impulsus & protrusus fui? an non colaphis me ceciderunt, & palmas in faciem dederunt? Denique ego in flagella paratus fui, & acutissimis spinis coronatus, arundine in capite percussus, & pluribus aliis CRUCIBVS inhumaniter exagitatus, & sic dolor meus in conspectu meo semper.

De morborum CRUCE quid attinet dicere? cum non ignores ab Isaiâ me dici virum dolo-

1. Reg. 4,  
18.

Matth. 26,  
27.

Pf. 37, 18.

Pf. 37, 18.

Isai. 53, 3.

dolorum, & scientem infirmitatem, qui vestros  
 lāguores verè tulerim, nec defuit mihi acerbā  
 potio: recordare enim, *absynthi mei & fellis*, Thren. 3,  
 & quomodo *in siti meā potauerunt me aceto.* 19.  
 Pf. 68, 22.

Paupertatem verò amavi & exquisiui ab  
 vtero matris meæ, quoniam propter vos ege-

nus factus sum, cū essem diues, vt meā ino-  
 piā vos diuites essetis. Et attende, quæso, pau-

pertatem natiuitatis meæ, quale ego fabrica-  
 tor mundi elegerim hospitium; stabulum pro  
 domo, præsepium pro lecto; panniculi pro

purpurā, pro bysso in ornatu Regio laciniæ con-  
 gerebantur; pedissequas substantia familiaris

non patiebatur, mancipiorum obsequia sumptus  
 tenuis & inops mensa excludebat. Denique

pauperes elegi discipulos, & tanta mea fuit  
 paupertas, vt neque cubile, neque domici-

lium quo reciperet, haberem. vnde non im-  
 meritò dicebam: *Vulpes foveas habent, &* Matth. 8,  
*volucres cali nidos; Filius autem hominis non* 20.

*habet ubi caput suum reclinet.*

Compassus quoque fui hominum casibus  
 & necibus: hinc enim super perituram Ieru-

salem lacrymatus sum. Hinc, vt alios conso-  
 larer, mortuos excitavi; & cū Lazarus a-

micus defunctus esset, infremui spiritu, tur-  
 bai meipsum, & lacrymatus sum, vt dice-

rent Iudæi: *Ecce quomodo amabat eum!* Ioan. 11,  
 Contumeliis denique & opprobriis fatu-

Bernardus  
 Serm. 20.  
 in Cant.

raturus fui. *In dictis enim meis sustinui contra-  
 dictores, in factis obseruatores, in tormentis il-  
 lutores, & in morte exprobratores.* An non

Matth. 11,  
 19.

potator vini, Publicanorū amicus, seductor,  
 dæmonium habens, Samaritanus, blasphemus,  
 & diuinitatis impius vsurpator, contumeliosissime  
 appellatus fui? Et quasi non sufficerent contumeliæ  
 verborum, etiam factis ignominiosissimis mihi  
 insultarunt, & æternam Dei sapientiam pro stulto  
 & insano habuerunt. Velauerunt faciem meam  
 ludentes, & illuderites mihi, & cum alapis  
 me cæderent, dicebant: *Prophetiza nobis  
 Christe, quis est qui te percussit?* Spreuit me  
 cum exercitū suo Herodes veste albâ indutum;  
 instar vanissimi regni affectatoris spineo  
 diademate me coronarunt: arundine, velut  
 sceptro, & chlamyde coccineâ, ceu Regio  
 paludamento per ludibrium me ornauerunt.  
 Quæ nunc, ô Staurophila, superest CRVX,  
 quam non expertus fuerim? atque hæc quidem  
 passus sum propter te, vt

Heb 12, 3.

& tu recogitans eum, *qui talem sustinuit à  
 peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem,*  
 non fatigeris animo tuo deficiens, sed aspiciens  
 in faciem Christi tui, eius exemplo commonita  
 dicas: Si sic ille, quid ego? *Si in viridi ligno hæc  
 facta, in me arido, & tantum non flammis  
 deputato, quid fiet?*

Luc. 23, 31